

nterventum alioquin cursus usurarum, præcipue quæ in ipsa fuerunt obligatione, sisti non potuisset, cum ex persona heredum conditio obligationis non immutetur. *l. 2. §. 2. ff. d. Verb. obl.*

XII.

Si vero heres fideicommissio universalis gravatus sponte adierit hereditatem, eamque totam non detracta prius quarta Trebellianica restituerit, obligationes & servitutes quidem ipsi competentes, confunduntur, *per ea, quæ supr. thes. 10. dicta.* ita ut nec hoc casu propter spontaneam restitutionem & quasi abdicationem hereditatis redintegrari posse primo intuitu videantur, cum heres sponte restituens sibi & propriæ suæ facilitati imputare debeat, quod sponte ita adierit. *d. l. 33. ff. fol. matr. cum & quartam detrachere, & ante restitutionem cautionem de indemnitate præstanda exigere potuisset. l. 59. vers. in re autem integra. ff. ad SCt. Trebell.* quia tamen heres fiduciarius non fuit, sed alieni compendii causa adit, & post restitutionem factam nil nisi inane heredis nomen retinet, ita, ut actiones hereditariæ quidem active & passive ei & adversus eum competant, *l. 88. in f. ff. d. Her. Inst. l. 7. §. 10. in f. ff. d. minor. l. 70. pr. ff. ad SCt. Trebell. l. f. ff. d. Transact.* sed sine effectu, cum agens exceptione hereditatis restitutæ repelli, & conventus alios eadem summoveere possit. *l. 1. §. 4. l. 27. §. 7. ff. ad SCt. Trebell.* Is vero, cui restituta est hereditas, in omnibus quoad effectum pro herede habetur, ita ut omnes actiones hereditariæ, non quidem directæ, sed utiles. *§. 4. I. d. Fideicommiss. Hered. l. 18. §. f. ff. ad L. Falcid.* quæ tamen cum directis ejusdem sunt potestatis. *l. antepen. ff. de Neg. Gest. ei & adversus eum dentur. §. 7. I. d. t. l. 16. §. 7. l. 45. ff. ad SCt. Trebell. v. Bachov. in not. ad Trentl. vol. 2. disp. 4. thes. 9. lit. C. & D.* idcirco æquissimū videtur, ut actiones per hereditatis aditionem confusæ heredi restituantur: quo facit & illa ratio, quod vendita hereditate actiones venditori competentes per aditionem confusæ restituantur. *l. 2. §. 18. ff. d. Her. vel act. vend. vid. infra thes. 20.* fideicommissarius autem sit similis emptori hereditatis, quod inde patet, quia olim ex SCto Pegasiano, si tota restituebatur hereditas, interpositæ fuerunt solennes stipulationes tanquam emptæ & venditæ hereditatis.

tatis